



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Lvdovici Carrionis Antiqvarvm Lectionvm Commentarii III**

**Carrion, Louis**

**Antverpiæ, M D LXXVI**

Post principia. viaticum. Q. Claudij Quadrigarij insignis defectus, & alter M.  
Varronis suppleti. Cap. XV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70907)

*Et medios inter volucres pensare meatus,  
Aut nitidos clamare suis, ramoue sedentem,*

*Pascentemue super surgentia dicere vina.*

correctum in eodem, vt in plerisque illius biblio-  
thecae libris:

*Aut nitidis damnare suis, ramoue sedentem,*

*Pascentemue super surgentia deicere vina.*

suspicio legendum; neque fat scio, si cui meam  
suspicionem probare potero, quae mihi tamen,  
quod in meis rarum est, hoc quidem tempore nō  
admodum displicet: suspicor, inquit, legendum:

*Et medios inter volucres pensare meatus.*

*Aut nitidis damnare suis, ramoue sedentem*

*Pascentemue super surgentia deicere vina.*

interuallum illius, deicere, nisi me iudicij fallit, er-  
roris culpam sustinet: & clamare, à librarijs extu-  
dit, cum, dicere, scriptum esse opinarentur, de quo  
tamen per me quiuis iudicabit, vt vult.

*Post-principia. viaticum. Q. Claudij Quadriga-  
rij insignis defectus, & alter M. Varronis,  
suppleti.*

## CAPVT XV.

SCRIPTOR *Noctium Atticarum*, siue is Au-  
lius Gellius est, siue, quod veteribus libris,  
omnium eorum qui illum nominarunt, affirmā-  
tibus & ipsi Prisciano magis credo, Agellius; ver-  
ba quaedam cum primè elegancia è libro primo  
Claudij Quadrigarij, vt noua & aetate M. Tullij  
Ciceronis ac deinceps rarissima, lib. xvij. recen-  
set: ijsque vel laudis vel culpae notam apponit. quale  
est, *viaticum*. quod illustris ille historicus, pro fa-  
cultate



Agell. lib.  
XVII. c. II

cultate magna, si Agellio credimus, & apparatu magno, nonne posuit. verba quidem ipsa Quadrigarum, ut ibi leguntur, eius rei fidem nobis nullam faciunt, sic enim perscribuntur: *Simul forma, factis, eloquentia, dignitate, acrimonia, confidentia, pariter praecebat, ut facile intelligeretur magnum viaticum.* Igitur si id, quod dicit Agellius, ex hac oratione necesse est colligere: magis est necesse, ut locum mutilum esse, verbis aliquot, quae eam sententiam eijcerent, omisissis, intelligamus. quo enim illud? *ut facile intelligeretur magnum viaticum.* aut quae eo illius est, quam diximus, significationis nota? ne multis, addiderat ex eodem Quadrigarum libro Agellius, *ex se atque in se, ad rem publicam euertendam habere.* atque ita olim scripserat: *simul forma, factis, eloquentia, dignitate, acrimonia, confidentia, pariter praecebat; ut facile intelligeretur magnum viaticum ex se atque in se ad rem publicam euertendam habere.* quae verba ex libro Bullidiano addita, quod ille volebat, confecerunt, & viaticum, pro apparatu & facultate ab historico positum esse, declarauerunt. Varro quoque verba aliquot, quae lucem hactenus videre timuerunt, ex eodem illo libro, quod capituli huius in scriptio pollueretur, restituamus. Varro Sisenna vel de historia:

Agell. lib.  
XVI. c. X

*Quod si non horum omnium similia essent principia: susque deque esset. scribe. Quod si non omnino similia essent principia ac post principia: susque deque esset. sic idem alibi Varro: Hae aut non discimus, aut prius desistimus quam intelligamus cur discenda sint. Voluptas autem vel utilitas talium disciplinarum in post principijs existit, cum perfectae absolutaeque sint: in principijs vero ipsis, ineptae & in sua*

Idem lib.  
XVI. cap.  
XVII.

Ant. Mureti  
Varia Lectione  
LIII  
25



& insuaves videntur. Atque ita quidem capituli huius inscriptioni satisfacimus.

*De locis aliquot, Plauti Rudente, iudicatum.*

## CAPVT XVI.

**R**VDENTE, in faceto illo Sceparionis & Ampeliscae colloquio, cum eam sacerdos Veneris aquam è proximo peteret, iussisset, & illa iam apertis vicini foribus Sceparioni, quamobrem esset missa, vellet exponere:

*Ad vos inquit, inquit, venio. at nequam seruulus adhinnire iam ad lepidam ancillam incipies, & paulo familiarius eam tractans, respondet:*

*Accipiam hospitio si mox veneris,*

*Item vt affectam. nam nunc nihil est qui te inanē. suspicor scribi oportere, personis etiam, vt ponam, distinctis:*

*Am. Ad vos venio. Sce. accipiam hospitio si mox*

*veneris*

*item vt affectas. nam nunc nihil est qui te inanē.*

Nequior enim & liberior est septetia. Si mox, inquit, ad me veneris; praestabo tibi officiū & hospitium, quod praestari sexus vester amat, & quod tacita petis. nam vt nunc res est, parū habeo, qui te inanem & sitientem expleam. id enim verbum postremum Plautus modestè reticuit. quanquam cum alijs libris sit, *qui te maneam*, de scripturae veritate dubito. neque sat scio an legi possit, non nimium ab illo, *inanem*, recedendo, *qui te inuem*. & ne quid dissimulem, scribi mallet; *si nox venis*: id est, noctu. quomodo verum illum Asinaria elegantissime restituit Lipsius:

*Ph. Quo*